nonnouit; Laetitiae detrimentum est. si desit auditor; Ego si tacere in tanta exultantium celebritate potuissem: crimen meroris incurreram; Apostoli et martyres ueniunt. antistitem tacere non conuenit; Friguntur altaria: de gaudio sacerdotis populus sumat exordium; Quis rogo tam brutus. quis tam profanus. quis tam legis et religionis ignarus. ut gaudia ista non sentiat; Si quis secularium principum nostram nunc uiseret ciuitatem: pronus feruis. spatia omnia redimita riderent; matres tecta complerent. post haec undam populi mouerent. omnis aetas in studium diuisa. adoreas et bellica facta cantaret; paludamenta flammas ac tyrium muricem miraretur; stuperet rubri pretium maris. et gelatas lacrimas beluarum; Et haec quidem miranda si uideas: contemnenda si cogites; Denique lapides appellantur; haec inquam hiantem populum detinerent; At uero beatissimi cum martyrum triumphus et pompa uirtutum nostra tecta succedunt: cur non solluamur in gaudia; Nec deest quod miremur ⁜ hic purpura. hic toga. libere sanctorum

⁜ pro regali amictu. presto est eterni luminis indumentum,